



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICULUS IV.

Verum homolapsus, vel in puris naturalibus conditus, ad diligendum Deum ut auctorem naturæ, dilectione efficaci, indigeat speciali auxilio, & quali?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Pro resolutione hujus difficultatis, ante omnia præmittenda est divini amoris partitio in naturalem & supernaturalem: cum enim Deus sit author naturæ, seu bonorum naturalis ordinis, & etiam gratiæ, seu bonorum ordinis supernaturalis, & sub utraque ratione sit bonus atque amabilis, sicut & cognoscibilis ab intellectu humano; sub utraque voluntatis humanæ affectum terminare potest. Unde sicut duplex est religio, una ordinis naturalis, cui præfulget lumen rationis, & quæ Deus colitur ut author naturæ, per actus ejusdem ordinis; altera supernaturalis, cui præfulget lumen fidei, & quæ Deus colitur ut author gratiæ, per actus fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium infusarum: ita etiam duplex est dilectio Dei, una naturalis, & ex genere suo acquisita, quæ per lumen rationis naturalis regulatur, & ad Deum ut authorem naturæ terminatur; altera supernaturalis & per se infusa, cui præficitur lumen fidei, & quæ Deus ut author gratiæ, & prout est objectum beatificans beatitudinem supernaturali à nobis diligitur. De quo plura diximus in Tractatu de statibus naturæ humanæ.

Denique observandum est, dilectionem Dei naturalem, duplicem esse, unam imperfectam & inefficacem, quæ est simplex quædam complacentia de divina bonitate, quæ neque infert media necessaria ad placendum Deo, nec curat amovere impedimenta peccatorum: alteram perfectam & efficacem, quæ ex vi sua potens est media ad placendum Deo necessaria inducere, & omnia quæ ejus amicitia repugnant, excludere. Et hæc adhuc duplex esse potest: altera quæ parum durat, & simplicem actum voluntatis dicit, quo homo se & omnia sua refert in Deum, cum proposito absoluto & efficaci ipsi placendi in omnibus, & nihil admittendi voluntati ejus contrarium, quod est Deum super omnia appetitativè diligere; hæcque dilectio actualis & affectiva vocatur: altera quæ diu & longo tempore durat, & quæ non dicit tantum singularem actum, sed universalem observantiam mandatorum naturalium, consistitque in executione prædicti propositi, ac propterea effectiva & habitualis appellatur. His positis:

Ut certa ab incertis fecerimus, tria ut certa, & ab omnibus ferè Theologis admissa, supponimus. Primum est, hominem in statu naturæ integræ potuisse, cum solo concursu generali, diligere Deum dilectione efficaci, non solum actuali & affectivâ, ac per breve tempus durante, sed etiam habituali & effectivâ, seu executivâ, ac per multum tempus permanente: quia in illo felicissimo statu ex viribus naturæ poterat vellet, & operari omne bonum morale naturale, & servare omnia præcepta naturalia, ac vitare omnia peccata contra legem naturæ, ut docet S. Thomas hic art. 4. & parebit ex dicendis articulo sequenti.

A Secundum est, hominem lapsum, vel in puris naturalibus conditum, posse sine speciali auxilio actum inefficacem dilectionis Dei ut authoris naturæ elicere: cum enim hic actus totius legis naturæ observantiam non importet; nec difficilis est, nec cum peccato mortali impossibilis.

Tertium est, hominem lapsum non posse sine speciali auxilio diligere Deum ut authorem naturæ, dilectione efficaci, effectivâ, & habituali, ac per multum tempus durante: nam talis dilectio totam legis naturæ observantiam importat; homo autem in statu naturæ lapsæ non potest, saltem per multum tempus, omnia præcepta naturalia servare, & omnia peccata contra legem naturæ vitare, absque auxilio gratiæ.

Tota ergo difficultas devolvitur ad dilectionem efficacem, actualem, & affectivam, quæ simplicem actum voluntatis dicit, quo homo se & omnia sua refert in Deum, illumque super omnia appetitativè diligit. Plures enim existimant hominem lapsum, vel in puris naturalibus conditum, posse ex viribus naturæ, & sine ullo speciali auxilio, hanc dilectionem actualem & affectivam elicere: ita Scottus, Durandus, Almainus, Cætanus, & Molina, citati à Curiele hic dubio ultimo. Alii cum Alvare lib. 5. resp. cap. 5. & 6. & Martine hic articulo 3. dubio 1. & 2. id quidem negant homini lapsò, sed concedunt homini puro, seu in puris naturalibus condito. Alii verò hominem in utroque statu, ad prædictum actum eliciendum, speciali Dei auxilio indigere affirmant. Hanc sententiam tenent Curiel, Zumel, Joannes à sancto Thoma, & alii ex nostris Thomistis. Licet autem in auxilio pro statu naturæ puræ requisito isti conveniant, doceantque illud esse in sua entitate naturale, etsi intra ordinem naturæ speciale: tamen circa auxilium homini lapsò ad prædictum actum eliciendum necessarium, in tres dicendi modos divisi sunt: quibusdam affirmantibus illud esse entitativè supernaturale, aliis contententibus auxilium intra ordinem naturæ speciale ad prædictum actum sufficere: aliis verò asserentibus, sufficere quidem auxilium intra ordinem naturæ speciale, ut principium eliciens, sed requiri auxilium supernaturale actuale, & gratiam habitualement, ut principium expediens ab impedimento peccati, & tollens aversionem à Deo ut ultimo fine.

§. II.

Difficultas quoad utramque partem resolvitur.

Dico primò: Homo in statu naturæ lapsæ non potest viribus liberi arbitrii, & cum solo concursu generali, Deum ut authorem naturæ dilectione efficaci super omnia diligere.

Probatur primò ex D. Augustino Epistolâ 107. ad Vitalem, ubi ait: *Liberum arbitrium, ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Quibus verbis aperte declarat, robur naturale liberi arbitrii, quod homo in natura integra habebat, ad Deum naturaliter diligendum, per primi parentis peccatum esse deperditum; siquæ, nisi per gratiam sanetur, hoc in natura lapsæ præstare non posse.

Probatur secundo ex S. Thoma hic art. 3. dicente: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ, superaddite naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter super omnia; licet indigeret auxilio Dei ad hoc cum morientis: sed*